1059. *Microthelia Romeana* Müll. Arg.; thallus cum saxo conferruminatus, late effusus, coerulescenti-plumbeus, subinde ochraceo-pallens, tenuissime farinulentus, creberrime et minutissime alveolato-asperulus; apothecia $^1/_{10}$ mm. lata, globosa, nigra, opaca, immersa, dein triente emergentia, sicca apice late collabescendo-depressa; paraphyses indistinctae; asci obovoideo-cylindrici, circ. 50—60-spori; sporae fuscae, 6—8 μ longae et $2^1/_2$—$3^1/_2$ μ latae, rectae, aequaliter v. subaequaliter biloculares, 2—3-plo longiores quam latae. — Thallus haud alienus, undique regulariter et copiosissime fertilis. Apothecia minora et sporae graciliores quam in *Tichothecio pygmaeo*. — Ad saxa calcarea montis Salève supra Bossey, prope Genevam (leg. oculatiss. Rome, n. 739).

1060. *Polyblastia alba* Müll. Arg.; thallus pure albus, tenuis, continuus, farinulentus, margine effusus; apothecia e tecto emergentia, demum superne denudata et nigra, cum halone cingente $\frac{8—9}{10}$ mm. lata; perithecium completum, basi tenuius, infra medium lateraliter obtuse dilatatum, nigrum; nucleus globosus, hyalinus; paraphyses tenellae, trabeculatim connexae; asci obovoidei, (6—)8-spori; sporae hyalinae, ovoideae, circ. 18—23 μ longae, 10—13 μ latae, 6—7-loculares, loculi 2—3-locellati. — A proxima et simili *P. lactea* Mass. statim recedit thallo albo et apotheciis distincte latioribus et sporis 8-nis. Interdum occurrunt apothecia confluentia geminata. — Corticola ad Lydenburg in Transwaal: Dr. Wilms.

Lichenes Insulae Sancti Pauli.

Enumerat William Nylander Med. Dr.

Insula parva Sancti Pauli sita est in medio Oceano indico, latit. merid. 38° 42′ et longit. 75° 28′, ab omni parte longe separata, inter insulas Mauritii vel Rodrigues (latit. 20°) et Kerguelen (50°). Est vulcanicae formationis et nuda, sterilissima.

Ex insula illa Sti. Pauli nostris usque temporibus cogniti non erant Lichenes nisi pauci citati in Krempelhuber Reise Novara (1870) et qui sunt: *Leptogium Burgessii* ibi p. 258, *Cladonia fimbriata* f. *minor* p. 127, *Ramalina scopulorum* p. 122, *Peltigera leptoderma* Nyl. p. 121, *Parmelia tiliacea minor* p. 115, *Physcia speciosa* f. *minor* p. 113, *Ph. parietina* var. *ectanea* p. 114, *Lecanora aurantiaca* var. *contigua* p. 111, *Opegrapha lithyrga* p. 109, omnes

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03550-0320-4

collecti a Domino Jelinek. Quibus benignissime mihi communicatis a cl. Fenzl e Museo Vindobonensi examinare eos mihi licuit non nescio quemadmodum determinationes praesertim exoticorum apud auctores saepe erroneae vel minus accuratae occurrunt. Ita dignoscere licuit: „*Leptog. Burgessii*“ Kphb. sistere *L. inflexum* Nyl. (quod ceteroquin vix differt a *L. Burgessii* nisi lobis thallinis integrioribus); „*Ram. scopulorum*“, Kphb. sistere *R. cuspidatum* Ach.; dictam „*Parm. tiliaceam*“ Kphb. sistere *P. confluescentem* Nyl.; *Physciam speciosam* esse recte nominatam, sed commixtam cum *Parmelia subrudecta* Nyl.; „*Ph. parietinam* var. *ectaneam*“ Kphb. esse *Ph. parietinam* f. *aureolam* (Ach.); „*Lecánoram aurantiacam* var. *contiguam*“ Kphb. sistere *Lecan. fulgescentem* Nyl.; „*Opegraphem lithyrgam*“ Kphb. esse *Op. consimillimam* Nyl.

Deinde anno 1875 advenit collectio in insula Sti. Pauli facta a Domino G. de l'Isle specimina numerosa continens harum 5 specierum et simul 12 aliorum Lichenum, qui deficiunt in collectione Jelinek. Sunt hi addendi: *Parmelia praeperlata* n. sp.; *P. perforata*, *P. subrudecta* n. sp.; *Physcia picta*, *Lecanora macrophthalma*, *Lecan. milvina*, *Lecan. subsulphurata* n. sp.; *Urceolaria deuteria* n. sp., *Lecidea parasemopsis* n. sp., *L. conioptoides* n. sp., *Stigmatidium leucolytum* n. sp., *Verrucaria aethioboliza* n. sp. Omnibus computatis inveniuntur in ea insula sequentes, quorum novitiis jam in Compt. rend. Acad. sc. 1875, octobri, definitiones dedi. Sunt 14 saxicolae, 7 terrestres vel muscicolae, et ex illis 21 in Europa temperata vel etiam boreali obveniunt 6 (*Clad. fimbriata*, *Ram. cuspidata*, *Ph. parietina*, *Ph. speciosa*, *Lecan. milvina*, *Lecid. stellulata*). Ex ibidem lectis 15 speciebus Muscorum 5 observantur europaei (Bescherelle l. c.), qua in re congruentia prodit cum natura lichenosa hoc loco associata. Inter Lichenes insulae Sti. Pauli adjunguntur e Terra Kerguelen *Placopsis macrophthalma* et e capite Bonae spei *Urceolaria deuteria*.

1. *Leptogium inflexum* Nyl. Syn. p. 132. — Muscicola.

2. *Cladonia fimbriata* Hffm. — Terrestris.

3. *Ramalina cuspidata* (Ach.) Nyl. Ramal. p. 60. — Rupestris.

4. *Parmelia praeperlata* Nyl. Similis fere *P. perlatae* (sorediatae), sed satis differens spermatiis longioribus. Haec aciculari-cylindrica, longit. 0,009—0,011 millim., crassit. 0,0005—6 millim. Thallus perlato-albus extus intusque K flavens. Apothecia non visa. Specimina latit. fere 10 centimetrorum. — Rupestris.

5. *Parmelia confluescens* Nyl. Thallus albus adnatus con-

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03550-0321-0

fluenti-laciniatus, laciniis subimbricatis parum sinuato-incisis, centro sorediosus, subtus niger; apothecia spadiceo-rufescentia (latit. 4 millim. vel minora), margine receptaculari subsorediosо; sporae longit. 0,008—0,011 millim., crassit. 0,006 millim. Latit. fere 8 centimetr. Thallus K ±, K (CaCl) medulla leviter erythrinose tincta. Spermatia sublageniformia (parte scilicet inferiore longiore acute fusiformi), longit. 0,005—6 millim., crassit. 0,0005—6 millim. Affinitas prope *P. Capensem* et *P. Bahianam* in stirpe *P. laevigatae*. — Saxicola cum priore.

6. Parmelia subrudecta Nyl. Thallus similis *P. rudectae* Ach., etiam reactione CaCl ∓ conveniens, sed spermogonia spermatiis sublageniformibus, longit. 0,0045 millim., crassit. 0,0006 millim., qua nota hic Lichen mox differt a *P. rudecta* (cf. Nyl. Pyr. or. p. 16 nota). Apothecia non visa. — Rupestris.

7. Physcia parietina f. *aureola* (Ach.). — Supra saxa doleritica in littore marino frequens.

8. Physcia speciosa (Hffm.). — Saxicola.

9. Physcia picta (Sw.) sorediifera. — Saxicola, sterilis.

10. Peltigera leptoderma Nyl. — Terrestris et muscicola.

11. Lecanora fulgescens Nyl. Similis *L. aurantiacae* * *erythrellae* Ach., sed thallo non areolato-rimoso et sporis minoribus (longit. 0,010—14 millim., crassit. 0,006—8 millim.). Thallus vitellinus tenuis rugulosus subcontinuus, aut passim rimosus vel rimulosus, interdum subobliteratus. Confluere fere videtur cum *erythrella* Ach. — Frequens super saxa doleritica, ad mare, socia *Ph. parietinae*.

12. Lecanora milvina (Whlnb.), sporis longit. 0,014—19 millim., crassit. 0,007—8 millim. — Supra doleritem.

13. Lecanora subsulphurata Nyl. Thallus albido-sulphureus tenuis ruguloso-inaequalis rimosus determinatus; apothecia glauco-suffusa (latit. circiter 0,5 millim.), margine thallino inaequali cincta; sporae 8nae ellipsoideae, longit. 0,009—0,012 millim., crassit. 0,006—7 millim. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein subincolorata thecaeque violascentes. Colore sicut in *L. sulphurata* (Ach.), a qua differt jam thallo rugoso-subleproso tenuioreque et CaCl non reagente; quoque epithecium CaCl —. Thallus K citrinus. Variat hic passim albidus. — Super saxa doleritica.

14. Lecanora macrophthalma (Tayl. Lich. antarct. n. 36). Placopsis. Thallus pallidus vel albido-testaceus, satis laevigatus, rimosus, tenuissime ruguloso-inaequalis, crassit. circiter 1 millim.; apothecia rufo-pallescentia vel pallido-fuscescentia, plana

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03550-0322-6

vel concaviuscula, opaca, obsolete rugulosa, mediocria, latit. usque 1,5 millim. vel minora, innata, margine thallino saepe tenui parumque prominulo, interdum haud parum difformia; sporae 8nae incolores ellipsoideae vel globoso-ellipsoideae, simplices, longit. 0,018—27 millim., crassit. 0,015—17 millim., paraphyses graciles. Iodo gelatina hymenialis intensive coerulescens. Thallus CaCl erythrinose reagens. — Saxicola in cacumine insulae (Velain).

15. Urceolaria deuteria Nyl. Sat similis *U. actinostomae* europaeae et forsan vix aliter differens quam reactione CaCl nulla, quare esse possit sola subspecies. Thallus I ∓. Sporae longit. 0,023—27 millim., crassit. 0,010—13 millim. Hypothecium tenue fuscescens (cum perithecio). — Supra saxa doleritica cum *Lecidea conioptoide* et *parasemopsi*.

16. Lecidea conioptoides Nyl. Thallus cinerascens vel cinereo-fuscescens, opacus, sublaevis, tenuis, rimosus: apothecia nigra plana marginata (latit. 0,5 millim.); sporae 8nae fuscae ellipsoideae uni-septatae, longit. 0,011—15 millim., crassit. 0,005—9 millim., epithecium fuscescens, hypothecium fuscum. Iodo gelatina hymenialis coerulescens. Affinis *L. coniopsi*, quae differt thallo fusco, sporis paullo crassioribus, spermatiis longioribus. In *L. conioptoide* spermatia arcuata, longit. 0,012—14 millim., crassit. 0,007 millim. — Super lavam scoriaceam et doleritem.

17. Lecidea parasemopsis Nyl. Thallus albus tenuis inaequalis rimosus determinatus; apothecia nigra opaca plana marginata (latit. 0,5—0,7 millim.), intus concoloria; sporae 8nae fusconigrae biloculares (placodinomorphae), longit. 0,016—22 millim., crassit. 0,009—0,011 millim., paraphyses gracilescentes, epithecium et hypothecium fusconigra vel nigra. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein thecae vinose rubescentes. Thallus et partes apotheciorum K —. Spermatia arcuata, longit. 0,014—20 millim., crassit. 0,0005 millim. — Super saxa doleritica.

18. Lecidea stellulata Tayl. — Super saxa basaltica.

19. Opegrapha consimillima Nyl. Thallus albus, sat tenuis, inaequalis, rimosus; apothecia nigra cylindraceo-prominula simplicia (longit. 1—2 millim., latit. circiter 0,25 millim.), epithecio rimiformi-angustato; sporae incolores oblongae 5-septatae, longit. 0,015—18 millim., crassit. 0,004—5 millim., paraphyses gracilescentes, hypothecium atrum. Iodo gelatina hymenialis vinose fulvescens. Simillima est *O. caesareensi* Nyl. in Flora 1868, p. 477, sed nonnihil differens thallo minus tenui, sporis breviori-

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03550-0323-2

bus et spermatiis brevioribus (longit. 0,0035—45 millim., crassit. 0,0005 millim.). Gonidia saepius simplicia. Sporae vetustate infuscatae. — In fundo crateris supra doleritem et basaltem.

20. Stigmatidium leucolytum Nyl. Thallus glaucescenti-pallidus tenuis rimulosus, facile (epithallo evanescente) albo-dissolutus in lepram tenuem subfarinosam CaCl roseo-erythrinose reagentem; apothecia fusca vel fusco-nigra, lineoliformia (longit. 0,5—0,9 millim., latit. 0,05 millim.) vel paullo latiora, saepius simplicia, nonnihil flexa, intus subconcoloria; sporae incolores oblongo-fusiformes 3—5-septatae, longit. 0,021—27 millim., crassit. 0,003—4 millim., paraphyses graciles, epithecium et hypothecium incoloria. Iodo gelatina hymenialis vinose rubescens. Accedit versus *St. Hutchinsiae* (Leight., quod vix est nisi *St. crassum* saxicola), sed distinguitur facillime notis allatis et praesertim thallo albo delitescente CaCl +. — Super basaltem.

21. Verrucaria aethioboliza Nyl. Subsimilis *V. aethiobolae* (thallo cinereo-virescente tenuissimo subrimuloso, apotheciis pyrenio integre nigro parum prominulo), sporis oblongo-ellipsoideis simplicibus, longit. 0,012—15 millim., crassit. 0,004—6 millim. — In fundo crateris super lavam (ut hodie dicitur) scoriaceam.

Ex insula non longe remota Amstelodami vidi solum: *Stereocaulon proximum* Nyl. et *Peltigeram dolichorhizam* Nyl.

Parisiis, die 2 junii, 1886.

Anzeigen.

Das ***Kryptogamenherbar „Herbarium Heufleri-anum"*** des im Jahre 1885 gestorbenen **Ludwig Freiherrn von Hohenbühel**, genannt **Heufler zu Rasen**, mit 1431 Gattungen, 8614 Arten und ungefähr 30400 Exemplaren mit mehreren Originalexemplaren, die seinen Namen führen, ist verkäuflich. Besonders erwähnt wird dieses Herbar im dritten Sitzungsberichte der zoologisch-botan. Gesellschaft in Wien vom Jahre 1853, S. 166—170, im VIII. Bande des „von Wurzbach'schen biographischen Lexikons von Oesterreich (Ausgabe vom Jahre 1862, S. 454)" und in Nr. 1 der österr. botan. Zeitschrift vom Jahre 1868.

Nähere Anfragen beliebe man an **Paul Baron Hohenbühel** in **Innsbruck**, Universitätsstrasse 3, **Tirol**, zu richten.

Soeben erschien:

Flora von Nordhausen
und der weiteren Umgegend.
Systematisches Verzeichnis der wildwachsenden und häufig cultivierten Gefässpflanzen
von
A. Vocke und **C. Angelrodt.**
8. 340 S. Preis 3 Mark.
Berlin N. W. Carlstrasse 11. ***R. Friedländer & Sohn.***

Redacteur: **Dr. Singer.** Druck der F. Neubauer'schen Buchdruckerei **(F. Huber)** in Regensburg.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03550-0324-7

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1886

Band/Volume: 69

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: Lichenes Insulae Sancti Pauli 318-322